



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Engilenheimense, In Qvo Artaldo Sedes Rhemensis restituta,  
Hugo comes Ludouico regi perduellis excommunicatus est, praesidente  
Marino sedis apostolicae legato celebratum indictione VI. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

est, vt recitaretur capitulum XIX. Carthaginensis Concilii de accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est secundum definitionem ipsius capituli, vt Artaldo præfule retinente communionem & parochiam Rhemensem, Hugo, qui ad duas Synodos euocatus venire contempserat, a communionem & regimine Rhemensis episcopii abstineret, donec ad vniuersalem Synodum, quæ indicebatur Kalendis Augusti, se purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem chartam Rotberto præfule remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset.

## CONCILIVM ENGILENHEIMENSE,

IN QVO ARTALDO SEDES RHEMENSIS restituta, Hugo comes Ludouico regi perduellis excommunicatus est, præfidente Marino sedis apostolicæ legato celebratum indictione VI. septimo Idus Iunias, anno Christi DCCCXLVIII. Agapeti II. papæ anno II. Ludouici eiusdem transmarini regis, qui Concilio aderat, anno XIII.

### TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. Hugo comes, qui Ludouici regnum infestabat, excommunicatus.                     | V. Vt laici presbyteros non vexent.                                    |
| II. Artaldo sedes Rhemensis restituta: Hugoni, qui eam usurpabat, anathema dictum. | VI. Quot diebus feriandum sit in pascha & pentecoste.                  |
| III. Hugo idem comes ob episcopum Laudunensem sede sua eiectum excommunicatus.     | VII. Vt in litania maiore ieiunetur.                                   |
| IV. Vt laici sine licentia episcopi ecclesias non dent, nec auferant.              | VIII. Vt oblationes altaris a laicis non attingantur.                  |
|  | IX. Vt decimarum cause non apud saculares, sed in Synodo discutiantur. |
|  | X. De incestis nuptiis.  |

### PRÆFATIO.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini DCCCXLVIII. indictione VI. VII. Idus Iunias,

ANNO  
CHRISTI  
948.

Iunias, anno serenissimi regis Ottonis XIII. ipso quoque cum illustrissimo rege Ludouico in praesentia manente, sancta ac generalis Synodus apud Engilenheim, in ecclesia sancti Remigii confessoris Christi, in pago Nagauui dicto collecta est, praesidente videlicet domni Agapeti papae apocriuario, venerabili Polimartienfis ecclesiae episcopo, Marino, & confidentibus archiepiscopis, Vvicfredo sanctae Colonienfis ecclesiae archiepiscopo, Friderico sanctae Moguntinae sedis archiepiscopo, Rotberto sanctae Treuerenfis ecclesiae archiepiscopo, Artaldo sanctae Rheimenfis ecclesiae episcopo, Adalgago sanctae Hammaburgensis ecclesiae archiepiscopo, Richauone Vangionenfis ecclesiae episcopo, Geroldo Iuuanenfis ecclesiae episcopo, Vdalrico Augustenfis ecclesiae episcopo, Bernardo Halberstatenfis ecclesiae episcopo, Theodardo Hildinesheimenfis ecclesiae episcopo, Dudone Padeburnenfis ecclesiae episcopo, Conrado Constantienfis ecclesiae episcopo, Starcando Eistetenfis ecclesiae episcopo, Reginbaldo Nementenfis ecclesiae episcopo, Poppone Vvirciburgensis ecclesiae episcopo, Adalberone Metenfis ecclesiae episcopo, Gollino Tullenfis ecclesiae episcopo, Berengero Virdunenfis ecclesiae episcopo, Balderico Traiectenfis ecclesiae episcopo, Vvichardo Basileenfis ecclesiae episcopo, Dodone Osnaburgensis ecclesiae episcopo, Eboriso Mimidonenfis ecclesiae episcopo, Hildiboldo Mimigardeurdenfis ecclesiae episcopo, Faraberto Tungrenfis ecclesiae episcopo, Fulberto Cameracenfis ecclesiae episcopo, Rudolfo Lugdunenfis ecclesiae episcopo, Michaele Ratisbonenfis ecclesiae episcopo, Adalberto Laureacenfis ecclesiae episcopo, Liopdago Ripuenfis ecclesiae episcopo, Oredo Sueuicenfis ecclesiae episcopo, Reginbrando Arufenfis ecclesiae episcopo, cum coetu abbatum, canonicorum, nec non & monachorum, vnus spiritus amore feruentium, quatenus caelitus adminiculati, zizania diuini cultus agro ab inimica manu superstita canonicarum sarculis sententiarum radicitus extirparentur.

Igitur recitato primitus euangelio, oramineque finito, & sanctorum Canonum quamplurimis institutionibus linguarum clauibus coram reclusis, missus apostolicae sedis chartam suae legationis honorifice protulit, in qua pro

debita reuerentia dono Romano pontifici exhibendo commoniti sunt, vt vniuersalis ecclesie puppis exoptata tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum est autem in eiusdem recitamine sententia, predictum presulem Marinum ab ipso vniuersali papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni ecclesiasticarum legum discussione ipsius existens vicarius, quaecumque liganda essent apostolica auctoritate ligaret, & quae soluenda viderentur parili solueret potestate. Huiusmodi procul dubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi reges praefati, cum pontificibus, omnique clero, congratulantes, vt dignum fuit, se in omnibus consentire & obedire professi sunt. A quibus, auctorante & confirmante legato apostolico, capitula subsequencia statuta sunt. Dehinc ex sessionis suae loco se subrigens inclytus rex Ludouicus, ad praesentiam serenissimi regis Ottonis, totiusque sanctissimi Concilii vnanimitatem, satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam: videlicet quod regia priuaretur potestate a quodam principe Hugone nominato, quondamque sibi subiecto. Cuius anxietati & multimodae reclamacioni condolentes in vnitae spiritus coadunati sanctissimi patres, eiusmodi super hac re sententiam protulere:

## C A N O N E S.

I.

Concilium  
Tolet. IV.  
Can. 75.

**N**VLLVS deinceps regiam potestatem praesumat populari, seu aliquam perfidiae maculam sibi fallaciter exhibere. Decreuimus enim, Toletani Concilii iudicium exequendo, Hugonem regis Ludouici regni inuasorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, nisi forte tempore statuto ad synodale Concilium veniat, & a tam nefaria proteruitate satisfaciendo resipiscat.

II.

Artaldus Rhemensis ecclesiae archiepiscopus

propria de sede expulsus, ex canonica auctoritate in pristinum honorem inthronizatus, Hugo autem, qui eius sedem contra fas sibi vsurpat, anathematis est mucrone mulctatus: eiusque ordinatores, & qui ab eo sunt ordinati, nisi VI. Idus Septembris Treuiris veniant, & ibi pro erratibus dignam satisfaciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

III.

De antedicto Hugone comite, qui Rudolfum Lugdunensis ecclesiæ episcopum propria de sede, non causa alicuius criminis, sed pro fidelitate Ludouici regis proprii senioris expulit, decreuimus eum in sancta Synodo pro hac re, sicut de præscripta, excommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

IV.

Vt laici sine episcopali licentia presbyteris ecclesias dare, vel eos dimittere non præsumant.

V.

Vt nullus laicorum presbyterum flagitare, seu fatigare, vel aliquam sibi iniuriam inferre audeat.

VI.

Vt paschalis hebdomada festiue tota celebretur, & in pentecosten secunda, tertia, quarta feria, non minus quam dies dominicus, solenniter honorentur.

VII.

In litania maiore ieiunium, sicut in rogationibus ante ascensionem Domini, exerceatur.

## VIII.

Ut oblationes fidelium, quatenus altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant potestatem, dicente scriptura; *Qui altario deseruiunt, de altario participentur.*

2. Cor. 9.

## IX.

Ut decimæ, quas Dominus præcipit in horreum suum deferri, si ecclesiis Dei non fuerint redditæ, sed nefaria cupiditate, quæ sæuior Ætnæ ignibus ardet, a sæcularibus fuerint retentæ, sæcularia super hoc non exercentur iudicia, nec in forensibus discutiantur causis, sed in sancta Synodo ab ipsis sacerdotibus, quorum deputatæ sunt vñibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

## X.

Ut euangelica auctoritate & sacrorum Canonum institutione \* pœnasque proponere diuini iudicii, vt nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum est quippe, quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur apostolus. Quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

## SYNODI EIVSDEM

APVD ENGILENHEIM HABITÆ  
ACTORVM NARRATIO ALTERA.

*Ex Flodoardo lib. iv. historiæ Rbemensis cap. xxxv.*

**D**OMNVS igitur Agapitus papa vicarium suum Marinum episcopum mittit ad Ottonem propter euocandam & congregandam generalem Synodum. Literæque

ANNO  
CHRISTI  
948.

ipſius papæ mittuntur ab vrbe Romana ſpeciatiſſime quibusdam epiſcopis Gallia Germaniæque, vocantes eos ad Synodum. Quæ Synodus congregata eſt in Engelenheim palatio regali, in eccleſia beati Remigii honori dicata, vii. Idus Iunii, cauſa videlicet maximarum diſſenſionum, quæ agitabantur inter regem Ludouicum & Hugonem principem, inter Artaldum quoque Rhemenſem epiſcopum & Hugonem illicite ſubſtitutum eiufdem vrbs præſulem: quæ diſſenſiones omne perturbauerant regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam, adueniente prædicto Marino ſedis apoſtolice vicario, conuenerunt etiam Germaniæ præſules, cum quibusdam Galliarum epiſcopis. Rotbertus videlicet Treuirenſis archiepiſcopus, Artaldus Rhemenſis, Vvicfridus Colonienſis, Hildebaldus Mimi-gardouurdenſis, Adalbero Metenſis, Berengarius Virdu-nenſis, Fulbertus Cameracenſis, Rodulfus Laudunenſis, Richoo Vvarmatienſis, Raimbaldus Spirenſis, Poppo Vvirzburgenſis, Conradus Conſtantiienſis, Odelricus Au-guſtenſis, Tethardus Hildesheimenſis, Bernardus Hal-berſtatenſis, Dudo Paderbornenſis, Fridericus Mogunti-nenſis, Adalgagus Hammaburgenſis, Goſlenus Tullenſis, Michael Ratiſponenſis, Farabertus Tungrenſis, Liopta-cus Ribunenſis, Dodo Oſnaburgenſis, Eueris Mindenſis, Baldricus Traiectenſis, Heroldus Salzburgenſis, Adelber-tus Bazſoenſis, Starcandus Eiſtadienſis, Horat Neouicenſis, Vvicardus Baſileenſis, Lidac Ribuenſis. Reſidentibus hiſ præſulibus in eccleſia dicti loci, poſt præmiſſas preces ſecundum ordinem celebrandi Concilii, & poſt lectiones ſacræ auctoritatis, ingreſſis glorioſis regibus Ottone ac Lu-douico, & ſimul reſidentibus, poſt allocutionem præfati Marini ſedis apoſtolice legati, exurgens Ludouicus rex e latere & cōſenſu domni regis Ottonis, proclamationis ſuæ querimoniam propalauit coram præmiſſo Romanæ ſedis vicario, ceteriſque confidentibus epiſcopis: referens qua-liter accerſitus fuerit a tranſmarinis regionibus per legatos Hugonis, ceterorumque Francia principum, ad ſuſcipien-dum ſuæ paternæ hereditatis regnum, cunctorumque vo-tis & acclamationibus procerum, militiaque Francorum, ſublimateſ & conſecratus ſit ad apicem regalis modera-minis obtinendum: poſtea vero eiectus ſit a præfato Hu-

gone, & dolis appetitus ac comprehensus per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus: nec aliter eius absolutio potuerit obtineri, nisi Laudunum castrum, quod solum tunc regina Gelberga cum fidelibus suis regiis sedibus retinebat, Hugone id occupante dimitteret. De his omnibus malis, quæ post regni susceptionem passus fuerat, si quis obiiceret quod sui facinoris causa eidem fuissent illata, inde se iuxta synodale iudicium, & regis Ottonis præceptionem, purgaret, vel certamine singulari defenderet. Deinde surgens Artaldus archiepiscopus protulit secundum iussionem papæ Romani, quam ei delegauerat, initium atque tenorem litis, quæ versabatur inter ipsum & Hugonem subrogatum sibi ecclesiæ Rhemensis antistitem. Et recitatae sunt literæ quæ sequuntur.

*Sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis vicario domno Marino, vniuersæque sanctæ Synodo apud Engelenheim congregatæ, Artaldus diuina propitiante clementia Rhemorum archiepiscopus.*

**D**OMNVS Agapitus papa literas nobis & ceteris coepiscopis nostræ dioceseos direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc sanctitatis vestræ Concilium conuenire studeremus, ita instructi de omnibus, vt rei veritas de miserris nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis huius, quæ adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriueo archiepiscopo, Seulfum, qui archidiaconatus vrbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum eiusdem sedis elegimus. Qui pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis, scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsiuit Heriberti comitis, quam dato iureiurando per eosdem consiliarios obtinuit eo tenore, vt post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero comes fratrem Heriuei præsulis, & nepotes ipsius, a participatione rerum Rhemensis episcopii separaret. Quibus patrat, insimulati sunt iidem propinqui Heriuei præsulis a consiliariis Seulfi episcopi de infideli-



ANNO  
 CHRISTI  
 948.

tate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto comite cum pluribus suis iubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos, a quibus accusati fuerant, singulari congregari certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt, atque deducti per Heribertum comitem ad Robertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Rhemensis adiit, & ecclesie milites, clericorum quoque quosdam, de rectoris electione ad suum consilium, ceu iuratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis quam laicis debitum honorem concederet & conseruaret, nec iniustitiam alicui faceret: sed ipsum episcopium aequo iure gubernaret, donec talem clericum eidem regi praesentaret, qui ad episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eandem urbem regressus, res episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis diuisit, ceteris abstulit, & absque ullo iudicio vel lege quos voluit rebus expoliauit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare praecipit. Sicque annos sex, & eo amplius, idem episcopium suo dominio vindicauit, pro libitu proprio illud tractans, & in sede praesulis residens tam ipse quam coniux sua, donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, ceterisque pluribus tam episcopis quam comitibus, Rhemorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis, & conquerentibus aduersus eum, quod tam diuturno tempore contra diuinae legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum & populum de pastore electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis quam laicis qui extra obsidionem erant, pluribus etiam

eorum, qui clausi tenebantur, in idipsum fauentibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam ciuibus portas vrbs regi Rodulfo, & episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis, qui erant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero vniuerso, quam reliquis ciuibus, inthronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme nouem tractaui, ordinans per diœcesim episcopos octo, & in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos: quouſque nono postmodum anno, postquam Ludouicum regem, fauente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel coniungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite, & Vvilelmo Nortmannorum principe, Rhemenſem obſidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obſidionis die, deferor ab omni pene cœtu laicalis militiæ: sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus & conterritus cogor memet episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autifiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunū deducit, quod castrum tunc obſidebant Heribertus & Hugo: solutaque obſidione opidum ingredimur, nobisque metatus degen- di disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem late perpetrantur. Interea conuocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Sueſſionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium episcopum, cum aliis quibusdam legatis, mandantes vt ad

ANNO  
 CHRISTI  
 948.

eos venire, ad consentiendum scilicet huius ordina-  
 tionis peruersitati. Quibus remandavi quod non esset  
 mihi competens ad eos illo proficisci, vbi aduersarii &  
 inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui me-  
 cum vellent, ad talem locum deuenirent, vbi sine peri-  
 culo ad eos accedere possem. Quibus aduenientibus in  
 locum ab eis delectum, profectus sum ad eos, veniens-  
 que prosternor coram ipsis, obsecrans vt propter amo-  
 rem & honorem Dei tam mihi quam sibi competens con-  
 silium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti  
 Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis sua-  
 dere, vt eis in hac ordinatione consensum præberem;  
 promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetratu-  
 ros. At ego, postquam responsum diu distuleram, videns  
 eos cunctos in proposito quod ceperant perseuerantes,  
 surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommuni-  
 cans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spi-  
 ritus sancti, vt nullus eorum ad eandem ordinationem ac-  
 cederet, nec alicui in episcopali honore me viuente ma-  
 nus imponeret; sed nec vllus eandem benedictionem  
 suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem apo-  
 stolicam eos prouocabam. Illis inde furentibus, vt pos-  
 sem exire de medio eorum, & Laudunum reuerti, tem-  
 peraui responsum, dicens vt mitterent mecum qui eis  
 renuntiaret, quid consilii reperire valerem super hac re  
 in domina mea regina & fidelibus eius, quia rex non  
 aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum episcopum, pu-  
 tantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, &  
 coram domina regina & fidelibus eius inde me interpel-  
 lante, iterum exurgens præfata modum excommuni-  
 cationis in eosdem episcopos iaculatus sum: vocatio-  
 nem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, ex-  
 communicans ipsum hunc Deroldum, vt id eis omnino  
 non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita ge-  
 stis, paruipendentes illi nostram excommunicationem,  
 Rhemis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic  
 manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse sciun-  
 tur. Ego vero cum rege manens, quas ille scitur angu-  
 stias pertulisse & secum pertuli, & quando eum bello ag-  
 gressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix

euasi mortis periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca inuia quæque siluasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus, affati quosdam amicos nostros sibi subditos, suadent ut me requirentes ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petissent ditatos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diuersa vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præfatos comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abiurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ huius præsentis, attestor. Districtus igitur & coangustiatum ab eis episcopii tandem rebus abrenuntiare compellor: sicque rursus ad sanctum Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuntios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis huiusmodi pauefactus & impulsus, locum deserui, & abdita lustra siluarum vagabundus repetii: horisque silentibus, & itinere deuio, Laudunum reuertor, ibique susceptus a rege secum manere constitutor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus eius, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse est dignatus in cor domini regis Ottonis mittere, ut ad subuentionem senioris mei regis & nostram properaret in Franciam. Denique, postquam domina nostra regina Laudunum propter absolutionem domini regis reliquerat, egressus inde ad dominum regem Ottonem cum seniore meo deueni rege, simulque Rhemos accessimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & episcopi qui aderant me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domino rege Ottone, ut egrediatur, & peruasam deserat urbem. At ille nutans aliquamdiu, & pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subuenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum suis dimitteretur abscedere. Permittitur itaque sanus exire cum omnibus qui secum voluere comi-

ANNO  
 CHRISTI  
 948.

tari, & quæcumque secum voluit ferre, nullo contradicente asportauit. Sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro & honori restitui. Susceptus igitur a dominis archiepiscopis, Rotberto Treuerensi, & Frederico Moguntiacensi, comitantibus ceteris, & congratulantibus, tam clericis ecclesiæ nostræ, quam reliquis ciuibus, ab ipsis restitutor cathedræ episcopali. Hugo vero Rhemis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & muniens contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, senioremeum videlicet ac dominum Ottonem, super Charam fluuium, conuenimus ad illud tam ego quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis huius ab episcopis auditur: protulitque literas ad sedem Romanam quasi ex persona nostra datas excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis episcopii nostri; quas me vnquam dictasse, neque subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum atque protestor. Et quia tunc Synodus conuocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis, altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda Virduni, vtriusque partis episcopis annuentibus, denuntiatur. Interim vero sedes Rhemensis mihi regenda decernitur; idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum, & regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Rhemensis episcopii contiguas vrbi deuenit, & omne pene vinum ex his colligens in diuersos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & ecclesiæ nostræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem denuntiata Virduni celebratur, præsidente Rotberto præfule Treuirensi, præcepto domni papæ Romani, præfente quoque domino Brunone, cum episcopis & abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo euocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone & Gozolino, venire contempsit. Vniuersa vero Synodus mihi Rhemense regendum decernit episcopium. Indiciturque

iterum Synodus habenda die Iduum mensis Ianuarii, quæ & aggregatur, vt denuntiatur fuit, in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domino Rotberto, conuenientibus ceteris quoque Treuerensis dioceseos episcopis, & aliquibus Rhemensis. Veniens autem illuc amulus noster Hugo, & locutus cum domino Rotberto, Synodum noluit ingredi: literas vero quasi ex nomine domini papæ direxit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonice continentis, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Rhemensi redderetur episcopium. Quibus recitatis, inuenientes episcopi consilium cum abbatibus, & ceteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, vt mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Rotbertus archiepiscopus, deferente Friderico præfule Moguntiacensi, coram regibus & episcopis tam Gallie quam Germanie susceperat, & partem iam præceptionis ipsius exegerat, propter illas literas intermitteret, quas insidiator noster exhibebat: imo quod regulariter coeptum fuerat, vt canonice pertractaretur vnanimiter censent. Præcipiturque recitari capitulum Carthaginensis Concilii xix. de accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est iuxta definitionem ipsius capituli, vt communionem & parochiam Rhemensis me retinente, Hugo qui ad duas iam Synodos euocatus interesse contempserat, a communionem & regimine Rhemensis episcopii abstineret, donec ad vniuersalem Synodum, quæ indicebatur ad Kalendas Augusti, sese purgaturus, vel rationem redditurus, præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam. Qui post alteram diem chartam eandem Rotberto præfule remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus existeret. Sicque absoluto Concilio ipse Mosomum contra mandata regum & episcoporum retinet, & ego Rhemos regressus reclamationis mox querelas ad sedem Romanam per legatos domini regis Ottonis destinaui, præstolans mandata ipsius sedis, eius decretis, & vniuersalis huius sancti Concilii vestri iudiciis parere paratus.

Postquam literarum recitationem, & earum propter

ANNO CHRISTI 948. reges iuxta Theotiscam linguam interpretationem, ingressus Synodum quidam Sigeboldus, præmissi Hugonis clericus, attulit literas quas Roma detulerat, quasque iam in alia Synodo Mosomi propalauerat, asserens easdem literas sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas. Qui Marinus proferens literas quas idem Sigeboldus Romam tulerat, præcepit eas coram Synodo recitari. In quarum recitatione repertum est, prout ipsæ literæ fatebantur, quod Vvido episcopus Sueffionicus, Hildegarius quoque Bellouacensis, Rodulfus Laudunensis, ceterique cuncti Rhemensis dioceseos episcopi, easdem literas ad sedem delegauerant apostolicam pro restauratione Hugonis in sede Rhemensis, & expulsionem Artaldi. Post quorum lectionem exurgentes Artaldus & præfatus Rodulfus, qui in iisdem literis nominabantur, Fulbertus quoque Cameracensis antistes, easdem literas refutarunt, adstruentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus cum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obtrepens, præcepit dominus Marinus, suggerens vniuersæ Synodo, vt sibi consilium & rectum iudicium proferrent super huiusmodi calumniatore, & calumniarum in episcopos delatore. At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de huiusmodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter censent, eum qui fruebatur honore priuari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quoungebatur, ministerio multatus, a conspectu Synodi reprobatus abscessit; Artaldo vero præfati, qui omnibus se Synodis præsentabilem fecerat, non refugiens synodale iudicium, episcopium Rhemensis iuxta Canonum constituta, & sanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda confessionis die, post recitatas diuinæ auctoritatis lectiones, & Marini vicarii allocutionem, suggestit dominus Rotbertus Treuirensis archiepiscopus, vt quoniam iuxta sacræ legis instituta restauratum atque restitutum fuerat Rhemensis Artaldo præfati episcopium, in eiusdem sedis inuasorem synodale perageretur iudicium. Præcepit itaque Marinus vicarius,

vt canonicam super hac præsumptione Synodus proferret sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum Canonum, & sanctorum decreta patrum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis, Symmachi, ceterorumque sanctorum ecclesiæ doctorum, excommunicauerunt, atque ab ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Rhemensis ecclesiæ peruaforem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Ceteris quoque diebus tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis, & ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imo venundabantur indebite, & auferebantur a laicis illicite. Prohibitum igitur atque statutum est, ne id omnino præsumeretur ab aliquo. Sed & de aliis ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla.

## NOTA IACOBI SIRMONDI

## SOCIETATIS IESV.

*Synodi eiusdem.*] Narrationis huius prior pars, quæ Artaldi epistolam ad Synodum antecedit, ex Flodoardi chronico petita est, epistola ex historia Rhemensi eiusdem. Quæ vero epistolæ subiiciuntur, eadem ad verbum leguntur in chronico & in historia. Ceterum in elencho episcoporum Synodi quædam interpolata paulo aliter quam apud Flodoardum.

CONVENTVS  
EPISCOPORVM IN ECCLESIA  
SANCTI VINCENTII LAVDVNENSIS.

**D**E hoc episcoporum Conuentu, eiusque actis, scribit in chronico Flodoardus, ubi res bellicas a Ludouico rege, Lothariensibusque cum eo Conrado duce coniunctis, hoc anno aduersus Hugonem comitem gestas persequitur. Obsident, inquit, dux & exercitus quamdam munitiorem, quam ædificauerat & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam opidum oppugnantes tandem non sine mora capiunt. Indeque Laudunum adeunt, & in ecclesia sancti Vincentii episco-